



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 27. S. Bernardi reditus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

cinerem & cilicium positus mane in Fe-  
sto Natalis Domini, sepultusque est die Sæcul. XII.  
A. C. 1134.  
altera, postquam ipse Papa, præsentem fu-  
nere, Missam solemnem ritu celebrasset.

## §. XXVII.

*S. Bernardi reditus.*

Sancto Bernardo in Franciam per alpes vit. l. II. c. 5.  
n. 28.  
redeunte, pastores & armentarii de  
summis rupibus descendentes, procul  
adhuc stantes conclamando ejus Benedi-  
ctionem poscebant, tum ad caulas suas  
regredientes latabantur, quod manu su-  
per se extensa optatæ Benedictionis gra-  
tiam accepissent. Claramvallem perve-  
niens mira devotione dilectus Pater ex-  
cipitur, & quamvis lætitia in omnium  
vultu, modestia tamen & gravitas Reli-  
giosa in gestu relucebat. Nihil interim  
perturbatum in sua Congregatione inve-  
nit, nullæ querelæ audiendæ, nullæ rixæ  
componendæ, nihil mali absente Abbate  
Diabolus contexere potuit. Exinde qui  
Bernardo a consiliis erant, scilicet ejus  
Fratres germani & Geofridus Prior, post-  
modum Episcopus Lingonensis, ei insi-  
nuarunt, monasterium in quo consedis-  
sent, esse angustum, & recipiendæ adve-  
nientium ad conversionem multitudini  
non

ristia, in Ecclesia universali omnium temporum  
fidem fuisse.

Sæcul. XII. non sufficere ac ita situm, ut extendi non  
 A.C. 1134 posset; simul locum ostendebant con-

dendo novo monasterio commodiorem.  
 S. Abbas respondit: *Scitis hanc domum  
 magnis sumtibus esse ædificatam, si eam  
 confregerimus, Sæculares dicent leves nos  
 esse homines & mutabiles, aut credent,  
 quod nimis divitiis insaniamus. Quam-  
 vis divites non simus, cum careamus pecu-  
 nia. Proinde temeritatis notam juxta*

Luc. 14. 28. *sententiam Evangelii non effugeremus, si  
 inciperemus ædificare. Illi vero non ac-  
 quiescentes, bonum, inquit, consilium, si  
 Domo ista ædificata, cessasset Deus nos  
 incolas ad nos mittere; nunc vero cum  
 quotidie gregem suum augeat, aut adve-  
 nientes repellendi sunt, vel amplius Cæno-  
 bium condendum, cui sine dubio Deus opti-  
 mus maximus providebit. Cessit monen-  
 tibus Abbas, & consilio novi monasterii  
 extruendi divulgato, Theobaldus Comes  
 Campaniæ magnam pecuniæ vim contu-  
 lit, & ampliora spondit subsidia. Vi-  
 cini Episcopi, viri nobiles, mercatores  
 opulenti, læti & nemine exigente opes  
 congegesserunt. Ipsi monachi cum con-  
 ductis operariis fabricæ incumbabant,  
 alii lapides quadrabant, muros struebant,  
 alii ligna cædebant, alii aquam ex fluvio  
 per canales, ubicunque opportunum es-  
 set, deducebant. Ita surrexit domus mul-  
 to citius, quam omnes speraverant.*

§. XXVIII.